A. JE. Pr.

DISPUTATIO JURIDICA DE JUDICATIONIBUS EXTEMPORALIBUS:


Quam,

DEO & Superioribus volentibus,

Loco congruente,

ac fortè Lipsiæ,

A. CH. 1685.



propositi sunt,

Præses,

W. **Gabriel Pachelbl à Wehag** / Juris utriusq; in almam florentissimæ Lipsiensis Facultatem Juridicam receptus Doctor, Consiliarius Brandenburgicus, & inclyti Judicii Cæsar. Provinc. Burggrav. Nor. Assessor.

Et Respondens

Henricus Laurentius Mösch, Barutho Francus.



A Ω
DILECTISSIME COGNATE!

QUanquam Tu, qui nuper Disputationem de Superstitionibus: an in foro Soli sint punibiles? exhibuisti, nunc autem de Judicationibus extemporalibus solicitus es, præter hæc academica, privatim etiam forensia, & adeò varia, *in nobilissimo Juris studio suscipis præludia: Fines tamen tui nunquam* variare, *sed semper iidem, qui ipsius veræ & non simulatæ Jurisprudentiæ, esse debent, scilicet aptitudo de negotiis politicis statuendi, quid juris; deinde corporis ac fortunæ bona, & hominum utilitas, non ex cujusvis affectu aut libidine, sed justo ac honesto æstimanda; deniq; Justitiæ universalis exercitium & DEI Gloria. Hos enim quando persequi studes, satis, contra humanam infirmitatem, quoad media eosdem fines adipiscendi facilè errantem, ea te sustentare poterit consolatio, quam nobis D. Lutherus noster in li-*

bello von Ehe Sachen: *Art.2.§.* Und wo sich &c. & *seq.adhibuit suavissimis hisce lineis:* Ob man gleich in tunckeln Sachen nicht allerding gerade die Spizen deß Rechts trifft/ so schadet doch solcher geringer Fehl nicht / und ist besser mit Nachtheil und wenigerm Recht/ endlichen Fried und Ruhe haben / denn mit unendlichen Unfried und und Unruhe / das Urtheil nach dem spizigsten und schärffsten Recht immer suchen / man wirds doch nimmermehr finden / denn es ist nicht noth/ daß ein guter Schüz alle wege dem Pflock oder Nagel treffe / man muß den auch einen guten Schüzen sein lassen / der nahe dabey oder das mehrmal ins Blat schiesset &c. Und ob froñe Männer in irrigen Fällen gleich ein wenig irreten / weil sie es aber treulich und herzlich meinen / und nicht ihren Nuzen suchen/ noch wieder die gesezte Recht wissentlich sprechen/ wird GOTT an ihren Irthum zu frieden sein/ und alles ins Vatter Unser begraben / da wir sagen : Vergieb uns unser Schuld &c. &c. *Verte modò in quotidianum usum tuum suspiria ex Psalm. CXXXIX, 24. Considera tota die locum II. Corinth. V, 10. Nunquam insuper habe monitum illud Stigelianum:*

Tu, quod Jura petunt, facias Pietatis amore,
nec metuas quenquam, quisquis obesse velit.

Cui Stimulo in mente tua relicto ego preces meas denuò addo:

GOTT! in dieser meiner Bitt/ ist mir wieder angelegen
Meiner liebsten Schwester Sohn/ daß Du ihm mit reichem Segen/
Wann Er in dem Rechts-Buch leset/ welches stets geschehen soll/
Den Verstand zu deinen Rechten/ wollest immer machen voll.

Scribebam Onoldi, occupationibus forensibus aurium tenus immersus, A. CH. 1685. Die 12. Iunij.

Exercitii hujus, Cathedræ Academicæ destinati futurus

Præses.



A JEHOVA

Principium!

Non solùm, Lector benevole, confitemur, verùm etiam profitemur, fieri posse, ut, vitiô humanæ infirmitatis, aberremus à rectè scribendo, voluntate autem, fide & libertate sentiendi, ab utilitate communi, per rectam, & DEO probisq; hominibus acceptam, Justitiæ administrationem, promovenda, nunquàm, dùm JEHOVA Spiritum nostrum, & Spiritus hos reget artus, diffidebimus. Cujus animi nostri specimen erit etiam præsens hic Discursus Juridicus, quem ut in optimam partem accipias, decenter Te obtestamur.

POSITIO I.

Judicationes extemporales sunt odiosæ.

Extemporalitatem qui Ducibus militaribus, qui Legatis, qui ceteris quoq; Principum Consiliariis commendandam suscipiunt, argumentis, suô tempore laudandis, nequaquàm destituuntur. Verissimum enim est, Prudentiam sæpè etiam extemporaneum requirere Judicium, & non rarò omne momentum in maturatione situm esse, quemadmodum olim, modò, dum Romæ disputabatur Saguntum peribat; modò, celeritatis beneficiô, undecim millia Atheniensium, Persas, & eorum quidem sexcenta millia vincebant:

bant: Justin. *lib. 2. cap. 9.* Sic etiam in Legatis extemporaneæ & ingeniosæ responsiones non minima sunt ornamenta, indeq; dudùm collecta sunt Apophthegmata, ex quibus multum solertiæ, multum prudentiæ addisci potest. vid. Jo: Brandes. *de ver. & simul. Jctor Philos. cap. 5. pag. 112.* Et omnes omnino Principum Consilarii cautiores esse debent, quàm ut inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumant: *Tacit. 3. H. 40* maximè ubi perniciosior quies, quàm temeritas: id. *1. H. 21.* Ubi facto magis quàm consulto opus est: id. *1. H. 62.* ne nimis sero, ut evenit in consiliis infelicibus, optima videantur, quorum tempus effugit. id. *1. H. 39.* Ex adversô tamen non accidit nunquàm, ut Ducum militarium, Legatorum & Consiliariorum festinatio, etiam intempestiva deprehendatur, qualem ipse πολιτικώτατος Tacitus notat, quando *6. A. 32.* inquit: *Barbaris* cunctatio servilis: statim exequi, regium videtur. Atq; planè ad mentem ipsiusmet *Augusti*, apud *S. Aur. Victorem* dicentis: *Nihil Jmperatori bono minus quàm temeritatem congruere: Satis celeriter fieri, quicquid commodè geritur:* idem Tacitus alibi docet: Duces providendo, consultando, cunctatione sæpiùs, quàm temeritate prodesse: *3. H. 20.* bona consilia morâ valescere: *1. H. 32.* Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debere, an, quod inchoatur, Reip: utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit: *2. H. 76.* quod summâ festinatione fieri nequit, nisi ab Heroibus, quorum facta non omnia ad communem regulam exigenda sunt. vid. omn. de Heroum celeritate & impetu, Bœcler. *Charact. Polit. Vellej. cap. 2. §. 36. seqq.* Reliquis igitur, quos sors sua exiguo Heroum numero non adjecit, extemporalitas in negotiis publicis gerendis utiq; fugienda est, exceptis magnæ necessitatis, & manifeste rerum evidentiæ casibus, ad quos restringenda credimus, quæ pro commendatione extempo-

ralitatis dici possunt. Conf. Keckerman. *System. Ethic. lib. 1. c. 3. pag. 817. can. 17. 19. 20. 34. System. Polit. lib. 1. cap. 7. pag. 940. can. 15. 16. Curs. Philosoph. Disput. 22. Problem. 11. Discurs. de Consil. pag. 1289.* D. Neuenhahn *de Jur. Consiliar. §. 91. 92. 128. -- 137. 143.* D. *Dick. œcon. Judic. ord. constit. pag. 362. in m.* Beckman. *Doctrin. Jur. voc. Festinatio.* Atq; hoc idem est, quod etiam de Judicibus prædicari debet: quanquàm hi quidem perrarò in eam incidunt necessitatem, quæ extemporales Judicationes ipsis extorqveat. Proindè, vitium præcipitantiæ in ferendis sententiis hoc seculo prohdolor deplorandum esse, eoq; plerosq; Judices pro animi sui levitate vel ambitione, ne scil: imperitiores ex deliberandi morâ videantur, re non accuratè admodùm pensata, verè tumultuarias sententias præcipitanter effutire, non sine cordoliô, rerum forensium peritissimi ICti scribunt. vid post D. Vantium & Pfeilium, D. Carpzov. *Jurisprud. for. p. 1. C. 26. D. 12. n. 2.* Et præcipitationem esse novercam Justitiæ, ipsamet illa in aliis aliqvot assertionibus noverca veritatis, *Clementina 2. de sent. & re jud:* verissime dixit. Mox vicissim iniquitas omnia præcipitat: *c. 34. vers. velox. de pœnit. Dist. 3.* quod ne Gentiles quidem fefellit, quô nomine inprimis Adrianus Imp. dudùm à Dione laudatus est, qvi in causis cognoscendis fuerit & facilimus & diligentissimus, adeo ut uni causæ cognoscendæ & dijudicandæ, sæpè dies 11. aut 12. tribueret: non nunquàm etiam noctes simul insumeret. Nos enim tempore indigemus, ut aliquid maturiùs agamus. Nec præcipitemus consilia & opera nostra, neq; ordinem corrumpamus: *c. 14. in pr. Dist. 50. Add. L. 1. C. de exec. rei. jud. L. 4. C. de sent. & interloc.* Vitandum est vitium illud, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq; temerè assentiamus. quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res & tempus, & diligentiam: Cic. *lib. 1. de off. Cap. Ex quatuor. 6.* Et cognitiones etiamsi sæpè

cum-

cumulentur, non tamen præcipitandæ, sed maturis deliberationibus tempus concedendum, neq; respiciendum, quàm brevi tempore multæ controversiæ expediantur, sed quàm benè ex æquo & bono componantur: Heresbach. *de Rep. christianè administr. cap. 17. §. antep.* Igitur Cujacius nunquam ex tempore ad quæstionem propositam respondit, dicendo: Ego nolo autoritatem meam, tot annis & laboribus partam, unico momento prostituere. vid. D. Praun *in Paradox. Polit. pag. 38.* Non-properanti clara certaq; sunt omnia, festinatio improvida est & cœca. Judices autem oportet imprimis rei qualitatem plenâ inquisitione discutere, &c. *L. 9. C. de Judic. c. 11. XXX. 5.* utrumq; ergo Jus Judices extemporaneos sibi cöereendos sumsit, non tantùm in allegatis, verùm etiam in aliis infinitis locis, e. g. *L. 11. pr. π. de pœn. L. 2. C. de sent. ex peric. recit. c. 70. XI. 3.* &, qui textus ante omnes, memoriæ imprimendus est, *c. 20. II. 1.* Imò utriq; humano, etiam Divinum Jus, & ipse Decalogus, nominatim cum secundô octavum præceptum astipulatur, quia tumultuariæ Judicationes, Judicum juramentis, ut justa & justè pronuncient, requirentibus, adeò non conveniunt, ut potius perjuriorum eos convincant; Deindè falsum testimonium in Judicio, inter ceteros modos, committitur qvoq; eô ipsô, quando Judex temerè, vel non exploratâ causâ, pronunciat. D. Dieteric. *Instit. Catech. pag. m. 184. n. 5.* Cujus & illud consequens est, iterùm ad Gentilium scholas allegandum esse Judicem extemporaneum, ut vel illic percipiat serium monitum.

- - - Phalaris licet imperet, ut sis
falsus, & admotô dictet perjuria taurô,
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
& propter vitam vivendi perdere causas.

Juvenal. *Satyr. 8. v. 81. &c.* Confer. *D. Voltz. Consil. 1. de inquisit. n. 20. & 21. ibiq;* D. Schütz *Jung.* D. Gryphiand. *l.*

Oecor

Oecon. legal.16. n. 407. Nostr. infer. *Posit. XVII. post pr. & Posit. XIX.* Excell. Dn. D. Hofmann, Consil. Aul. Brandenburg. *Tr. Jud. & Justit. p. 545. §. 98.* Apophthegma Carolinum: Cunctatio anima Consilij; Celetrias anima executionis &c. Carolus V. ap. Dn. D. Hofmann *Tr. Jud. & Justit. pag. 406. in pr.*

POSITIO II.

Judicationes extemporales, etiam cura subtilitatis Legum, in Judiciis adhibenda, proscribit.

An subtilitas legum in Judiciis observanda sit? Quæstio quidem Domitiana: à non nullis tamen, maximè in ipsâ Praxi, sæpè negata est, qui & ipsi ad non paucas leges provocant: adducunt enim *L. 14. C. de legitim. hered. §. 3. vers. Et hæc. Instit. de legitim. Agnat. Succefs. §. ult. circ. fin. Instit. de legat. §. 7. Instit. de fidei com. L. 41. §. 1. ff. de N. G. L. 13. C. de contr. & comm. Stipul. L. 51. in f. ff. ad. L. Aquil. L. 43. ff. de relig. L. 29. §. 4. ff Mand. L. 16. §. 6. ff de pignorib. L. 8. §. 16. ff. quib. mod. pign. vel hyph. solv. L. 91. §. 3. ff. de V. O. L. ult. §. 1. C. de LL. L. un. C. ut actio. & ab. her. & contr. hered. incip. l. 2. §. 1. C. de const. pec. L. 7. C. de Inst. & Substit. L. penult. pr. C. ad Sct. Treb. c. 1. vers. sed sunt nonnulli. Distinct. 49.* Sed Affirmativa omninò clarior est, quàm ut ullâ contradictione obumbrari possit. Pro eâ enim (1.) textus *L. 11. c. de Jud.* ita fatur: *Subtilitatem legum Judex curæ habeat.* (2.) Ipse Imperator ICtos, & præcipuè Papinianum, ob subtilitatem & acumen in genij, laudat, miratur & sequitur. Vid. ex infinitis, *L. 30. C. de fideicom.* (3.) Recentiores quoq; Legum latores nostrates à Judiciis nihil magis quàm observationem subtilitatis legum requirunt, in tantum, ut Judices, ejusdem subtilitatis non sat gnaros, a ICtis informationem petere, graviter jubeant, quod imprimis ex Ordinatione criminali Caroli V. patet. (4.) In finiti Jurium articuli sunt suaptè naturâ subtiles, in quibus non potest aliter quam pessimè judicare, qui subtilitatem insuper

habet

habet. Imo (5.) Jurisperitus, qui in judicando subtilitatem legum negligit, non majoris æstimandus est, quàm imperitus quia hic æq; bonam, interdum quoq; meliorem, atq; ille, fortunâ propitiâ, pronunciare potest sententiam, cùm sola legum subtilitas faciat, ut ICtus certiùs judicet, quàm homo laicus, quantumvis ingeniosus: Sapit enim naturali judiciô, quod cum laico habet commune, & etiam judiciô legibus informatô, quô laicus caret: Paul. de Castr. *in L. 1. de Just. & Jur.* Quod autem ad textus pro negativâ adductos attinet, distinguendum est inter usum & abusum subtilitatis, seu, ut populariter loquamur, inter duas ejusdem species, quarum altera est, quæ inanitatem sectatur, publicè inutilis & iniqua existit, nec sensum, sed vana nominum vocabula amplecti desiderat, sicuti disertè in dictis textibus describitur. Altera vero est, qua γνήσιοι Justitiæ Sacerdotes utuntur, ut investigent veritatem: *L. 10. §. 1. ff. de reb. dub.* ut promoveant reaspè, & sine alterius læsione, utilitatem publicam; ut quærant æquitatem, & eò quidem diligentiùs, quò perniciosius alii in quæstionibus de bonô & æquô plerumq; sub auctoritate juris scientiæ errant: *d. L. 91. §. 3. ff. de V. O.* quoq; minùs de iis, quæ in solâ æquitate consistunt, aliquid in perpetuum atq; generaliter definiri potest: *L. 14. pr. ff. de divers. temp. præscript.* ut deniq; sciant Leges, hoc est, non verba earum teneant, sed vim & potestatem: *L. 17. ff de LL.* Priorem subtilitatem Judices utiq; fugere: posteriorem ex adversô colere, & ritè quidem ac justè, sed & ita solicitè debent, ne, dùm hanc colunt, in illam unquàm incidant. Hujus modi verò studium subtilitatis certè laboriosas exercitationes postulat, & extemporales Judicationes longissimè remotas cupit. Confer. Schenck. L. B. à Tautenberg. 1. *F. 7. n. 2.* D. Hortleder *Disput. de ratione legis publ. th. 51. - 54.* D. Gryphiand. *Oecon. legal. Præfat. n. 35 - 46. it. lib. 1. cap. 23. n. 60. lib. 2. cap. 20. n. 6. 9.*

D. Mat-

D. Mattheac. *de via & rat. Jur. lib. 2. c. 13.* D. Holstein. *Tr. de æquit. Tit.2. n.6.* D. Ziegler. *Dicast. Concl. 37. & 38.*

POSITIO III.

Judicationes extemporales, etiam cura præjudiciorum, Judicibus observandorum, respuit.

Veritatem hujus positionis sequentia argumenta patefaciunt: (I.) Adamussim utiq; implendus est ille Sacratissimorum Legum latorum Jussus, ut Judices in observandis præjudiciis summam adhibeant diligentiam, cùm varietas in ipsis, quod etiam *L. ult. §. ult. C. de modô multar.* observat, erubescenda sit. Videri merentur Recessus Jmp. A. CH. 1570. §. Als dann auch. 78. verba: es sey nöthig/ daß zwischen deß H. Reichs-Ständen und Unterthanen/ in gleichen Fällen/ gleich Recht und Procefs erkennet / und was einem mitgetheilet/ dem andern nicht verweigert werde. item: Sechs oder acht oder zehen/ deß herkommenen Styli erfahrne Beysitzer deputiren / so darüber consultiren/ und mit fleiß darob sehen sollen/ daß gleichheit gebraucht/ und einem jedem gleichgebührlich Recht mitgetheilet werde. Add. *§.seq.79.* Et. R.J. A. CH. 1654. §.136. Confer. de simili impositione, Dnn. Scabinis Lipsiensibus factâ, D. Carpzov. *Pr. crim. qu. 26. n. 46. in f.* Igitur sententia inter alios lata, quoties est eadem judicandi caussa, in eôdem quæstionis statu, apud eundem judicem, parit allegationem rei judicatæ, non quidem ut allegans dicere possit, rem suam ita jam esse judicatam: hoc enim rei veritati & juribus repugnaret: *l. 3. l. 7. §. 4. ff. de except. rei jud.* *D. Mev. p. 5. Decis. 148.* sed ut desiderare queat, rem suam eôdem modô judicandam esse. Videatur, qui hunc intellectum habet, D. Carpzov. *p. 1. C. 26. D. 16.* Conf. D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 34. §. 6.* Sed (II.) Judices omninò accuratissimè

simè

simè examinare oportet, an in utroq; negotiô, pridem judicatô, & iterum judicandô, sit, non modò qualis qualis, neutiquàm verò sufficiens, similitudo: *L. ult. C. quib. res jud. non noc.* D. Blum. *Proces. Cam. Tit. 2. n. 25. & 26.* sed omnimoda identitas causarum judicandi, quam, in exemplis Imperatoriarum quoq;, & aliarum judicialium sententiarum, per textum *L. ult. pr. C. de LL.* verbô: *similibus*: requirit ipse Imperator, nec aliter exaudiri vult Ulpianus in *L. 1. §. 1. ff. de Constit. Princip.* ubi simul ad interlocutorias sententias hanc doctrinam extendi credimus. Cui, quod in *L. 3. C. de LL.* dicitur: *interlocutionibus, quas in unô negotiô judicantes protulimus, vel posteà proferemus, non in commune præjudicantibus*: nequaquàm obstat. Quemadmodum enim hic interlocutiones non strictè, ut Definitivis opponantur, sed latiùs, ut definitivas comprehendant, accipiuntur; ac etiam aliàs æquivocationem patiuntur: *L. 4. C. commin. Epist. &c.* ita e regione, per illam enunciationem, Imperatores nihil aliud, quàm præcavere voluerunt, ne sententiæ imperatoriæ ad illos applicarentur casûs, in quibus omnimoda identitas causarum judicandi cessat, nisi per expressa quædam verba de voluntate Principis constaret, eum scil. non modò ut Judicem, sed ut legis latorem, animô faciendæ legis, quæ ab inferoribus judicibus non scrupulosè examinanda, interlocutum esse. Aliter textuum istorum conciliationem quærit D. Hotoman. *2. observ. 4. in pr.* dum, in *d. L. 1. §. 1.* totum hoc membrum: *vel de planô interlocutus est*: expungit, putatq;, cùm ille Ulpiani locus in Institutiones, *sub Tit. de J. N. G. & C. §. 6.* reciperetur, nullum verbum prætermitti potuisse. Videatur etiam D. Strauchius *Dissertat. de Statut. à S. Princip. §. 45.* qui & ipse *d. L. 3.* de voluntate; sed *d. l. 1. §. 1.* de potestate Principis intelligit, æquivocationem interlocutionis autem omittit. Add. omn. D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 36. l. -- 23.* Porrò (III.) & (IV). Judices, ut legibus observandorum

dorum præjudiciorum obediant, diligentissimè circumspicere debent, non tantum, an perpetuò similiter judicatum sit, sed imprimis etiam an causa judicandi justa fuerit. Nam etsi vel multoties super quæstione aliquâ similiter jus dictum constet, ubi aut ex lege aut ex justâ ratione justum non reperitur, non est attendendum, licet in consuetudinem abierit, quia ejusmodi consuetudo, utpotè particularis, insciô legislatore introducta, Legiq; contraria, legem vincere nunquam potest; Nec, si quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum judicum vitium extendi oportet: cùm non exemplis, sed legibus judicandum sit, omnesq; judices veritatem, & legum & justitiæ sequi vestigia debeant. Vid. *L.13. C. de Sent. & interl. Novel. 134. c. 1. in f. L.2. C. quæ sit long. consvet.* D.Brunnem.*ad L.32. ff. de LL.n.5.* D.Mev.*part.5.Decis. 282.part. 6.Decis. 354. n. 3.* D. Roding. *Pandect. Camer. lib. 3. Tit. 2.§. 6.* Atq; hæc omnia & singula minimè tam levia sunt, ut iisdem per extemporales Judicationes possit satis fieri.

POSITIO IV.

Judicationes extemporales in iis quoq; causis, quæ moram non ferunt, cessare: breves tamen Processus adhiberi debent.

In causis moram non patientibus vitandæ quidem sunt ambages, sed ita, ne fortè per leve compendium ad gravè dispendium veniatur: *c.24. circa fin. de accus.* ne justitia & veritas offendatur, & adeò indè injuriarum nascatur occasio, undè jura nasci debent: *L. 6. pr. C. Undè vi.* Ne nocens absolvatur, & innocens injustè opprimatur; ac ne malum dicatur bonum, & bonum malum, tenebræ lux, & lux tenebræ: Proverb. *XVII,15.* Esaj. *V, 20. c. 57.58.59. XI,3.* Talia

autem vitari nequeunt, nisi etiam vitentur Judicationes extemporales. Hæ ergò probo Judici prorsus fugiendæ; Causis verò morarum impatientibus, sine retardatione expediendis, justiora remedia quærenda sunt, ad quæ, inter cetera, referri debet, ut in ejusmodi causis breviores termini præfigantur; item, ut vel partes ipsæ ad Tribunal citentur, ibiq; auditis iis, statim super controversiâ deliberetur, & deindè, sine ulteriori morâ, pronuncietur, vel, juxta *L.1. ff. de damn. inf.* per delegationem seu Commissionem de causâ exquiratur, Commissariisq; demandetur, ut, pro re natâ, inter litigantes, post allegationes ipsorum, compositionem tentent, hôcq; frustrà factô, de causæ momentis ad Judicium referant, quò ibidem juxta ea aut lis per definitivam terminetur, aut, si id fieri nequeat, provisionali, quod æquum & causæ aptum statuatur. Vid. D. Mev. *p.2. Decis.366. p.1. Decis.188. p.6. Decis.219. p.7. Decis.316. p.3. Decis.164.* Tit. Dn. D. Hofmann/ *Consil. Aul. Brand. Proceß*-Ordnung *Tit.52.*

POSITIO V.

Judicationes extemporales à causis criminalibus longissimè abesse debent.

Causæ criminales, omnium gravissimæ, eò cautiùs tractandæ sunt, quò plura de iis sæpè scribuntur, quæ voluntati Divinæ neutiquàm conveniunt. Judicium scil. humanum, modò timor, modò cupiditas, modò odium, modò amor pervertit: *c.78. XI, 3.* Vid. D. Mund. *de Diffamat. C.5. §.5. n.86. seqq.* idem his versibus exprimitur:

Quatuor ista, timor, odium, dilectio, census,
sæpè solent hominum sanos pervertere sensus.

Confer. Dn. D. Hofmann *Tr. Jud. & Justit. pag. 557. §. 143.* Jus inter homines nonnunquàm variè ejectatur,

tatur, & prout potens vel inops reus incidit, infirmum aut validum, retinetur: Tacit. *2. H. 10.* Nonnulli putant, satis reverenter haberi justitiam, si doli tegantur, ne præsides litium videantur aliquid fecisse ad arbitrium: Frustrà in injustitiâ iram Numinis metui, aliam esse cœlestis, aliam terreni status rationem: Fatidic. ad Dolobel. Mercur. *Codicil. 6. n. 6. pag. 98.* Quibusdam aliquàndo tanta adversus fas nefasq; irreverentia fuit, ut gregarius eques, occisum à se proximâ acie fratrem professus, præmium petierit á Ducibus; quibus tamen honorare eam cædem, Jus hominum non permittebat: *Tacit. 3. H. 51.* Plura sibi, posterioribus temporibus, ipsimet Jurium Antistites permiserunt: Nam profectò, si quis multorum Doctorum & interpretum regulis homicidia metiri voluerit: neminem facilè homicidii reum, & homicidii pœnâ dignum statuere poterit: Vid. omn. D. Voltz. *Comment. ad L. Cornel. de Sicar. cap. 1. n. 4.* Arripiunt tamen & sequuntur dogmata illa *plures numerò tuti:* Tacit. *14. H. 49.* imprimis etiam in materiâ inculpatæ tutelæ, quam ita tractant, ut etiam ille, qui nihil minus quàm innocens est, verba Ciceronis pro Milone: *Vi victa vis, vel potiùs oppressa virtute audacia est:* suum in usum vertere possit: Quod nunquàm liceret, si locum semper invenirent γνησίως Juris hæc principia: inculpata tutela modum tribus temporibus servare debet, scilicet ante defensionem, in ipsâ defensione, & post defensionem armatam. Ante defensionem modus est, si evitentur occasiones, si, de cujus actione rationabiliter sinistra suspicio præsumitur, admoneatur, ut desistat ab hâc re faciendâ, si invocetur Magistratus aut bonorum Virorum intercessio, si incommodo non ita magno comparetur pax. His omnibus enim contemtis occasionem damnī dedisse censetur defendens, nec potest carere culpâ. vid. P. H. G. O. Caroli V. Arti: 142. §. mehr/ so fürge-

ben wird ꝛc. & §. Und so Er ꝛc. D. Oldendorp. *Enchir, Except. pag.m.103.* ubi etiam modum in ipsâ defensione, & post defensionem, explicat. Addatur Scharrock. *de Offic. secund. Jus Nat. Cap.3. num.11. §. in simili.* Et probè notetur ista Φήκευσις: Puto in furto non facilè Judicem clementiæ; & in homicidio non facilè rigoris poenitere debere: D. Brunnemanni *de inquisit. Cap.9. n.86. inf. conf. n.90. pag. 224.* Dn. D. Hofmann *Tr. Jud. & Just. pag. 224. lit. o. pag. 311. lit. g.* Quapropter causæ criminales accuratam valdè, exquisitamq; examinationem efflagitant, magnaq; animi attentione providendum est, ne contra Dictum *Proverb XVII, 15.* alterutrô modô peccetur, ac ne quid vel duriùs, vel remissius agatur, quàm cujusq; causæ nobis oblatæ veritas poposcerit. Indè ipse DEUS, ut nos à præcipitandæ sententiæ prolatione compesceret, exemplum accuratè priùs indagandæ veritatis, in processu contra Sodomam nobis dedit. Quô monemur, ne ad proferendam sententiam unquàm præcipites simus, aut, temerè indiligenterq; indiscussa quæq; quòquô modô judicemus. Vid. omn. c.20. II.1. Torturæ, ut loqui solemus, Extemporalitates similiter eò minus conveniunt, quo plures difficultates habet. Inter illos Doctores, qui aliquem ejus usum defendunt, modestissimus est Zieglerus *in Dicast. Concl. 30.* Conf. Keckerman. *Curs. Philos. Disp. 32. Problem. 4.* Ex adverso autem contra omnem ipsius usum, & adeò etiam contra Ziegleri rationes, alias, easq; ferè validiores profert Disquisit. Polit. Conringio-Albertina *de forma Judicior. in Rep. rectè instit. §. 223. - 245.* Exempla eorum, qui innocentes rapti ad quæstiones sunt, extant in Zeilleri *Theatr. Trag. pag. 310. 350. 382. & 387.* Ex his (sed & ex nocentibus) illi, quibus nulla criminis assertio extorta est, flebili, & nonnullis tamen tùm per extemporalitates, tùm aliàs, sæpiùs erepto, gaudent beneficio, quod expensis Processûs haud sint onerandi. Vid. d. P. H. O. Art. 61. ibi: So der Gefangene auf redlichen Verdacht

dacht mit peinlicher Frag angegrieffen/ und nicht unrecht befunden/ oder überwunden wird 2c. soll in diesem Fall der Ankläger allein sein Kosten/ und der Beklagt dergleichen sein Atzung / nachdem er seiner Verdacht Ursach geben/ auch entrichten / und die Obrigkeit die übrigen Gerichts-Kosten / als für den Nachrichter und andere Diener deß Gerichts oder Gefängnüs selbst tragen.

POSITIO VI.

Extemporalitas ne quidem interlocutionibus Judicum convenit.

Ratio hujus Positionis eſt, quia in interlocutionibus quoq; cauſæ cognitio requiritur: *L. 4. C. de Dilat.* D. Cravet. *Conſil. 153. n. 2.* & per interlocutorias inconſideratè latas Proceſſus nimium quantum prolongari poteſt, ut eæ oriantur partibus moleſtiæ, quibus tolerabilior patibuli pœna à non nemine reputatur. vid. Dn. D. Hofmann Conſil. Aul. Brandenb. *Proceſſ-*Ordnung *in Præfat. lit. (g.)* Add. D. Carpzov. *Jurisprud. for. p. 1. C. 1. | D. 9. n. 8.* Cujus modi eventus præterea ipſis Judicibus nequaquàm eſt honorificus. R. J. A. CH. 1654. §. diesem nächst. 34. ibi: **die Proceß so wohl zu der litigirenden Parteien gröstem Schaden und Nachtheil / als zu dieses höchsten Gerichts in Reich mercklicher Verkleinfügung gleichsam unsterblich gemacht werden.**

POSITIO VII.

Judicationes extemporales de Appellationum proceſſibus & gravaminibus factæ, non ſunt innocuæ.

Quæ pro ſtabiliendâ Poſitione proximè præcedenti adducta ſunt, ea etiam ad hanc, & quidem eò magis, ſemet appli-

applicant, quo ei, qui justam fovet causam molestius est, novam plane, in Processu Appellationis, instantiam inchoare, eamq; denuò, quod frequentissimè accidit, per multos annos continuare. Nihil equidem æquius appellationibus esse potest, si adversus vera duntaxat pronunciationum gravamina arripiantur; Sed nec quicquam capitalius Saluti populi, si hôc perfugiô licet abuti ad eludendas justas sententias. Jdcircò probi Judices summam gerunt solicitudinem, ne faveant nisi justis appellationibus. Vid. D. Mev. *part. 2. Decis. 109. p. 1. D. 7. & 48. p. 3. D. 127. p. 4. D. 29. & 124. &c.* Albrecht *Disquis. de formâ judicior. rectè instit.* §. *306.* Et certè quicunq; Judex quasvis ad se factas appellationes promiscuè recipit, ille prorsùs graviter peccat, sicuti solidissimè docet D. Ziegler *in Dicast. Conclus. ult.* Jmò mortale peccatum committit. D. Mev. *p. 7. Decis. 353. n. 1.*

POSITIO VIII.

Judicationes extemporales per Species Decretorum fieri solitæ, pro varietate negotiorum, quibus applicantur, modò culpandæ, modò culpæ expertes sunt.

Jn negotiis forensibus, per Decreta expediendis, modò non est necessaria, modò requiritur causæ cognitio, prout nemo, vel aliquis lædi potest. Illic facto magis, hîc consulto priùs opus est. Ita super confirmatione contractuum, aliorumq; negotiorum, Decretum Judicis, sine causæ cognitione, non interponi: sed alterâ tantùm parte id desiderante, an impetrare queat, æstimare judex debet, adhibitis etiam his, qui contradicent, i. e. qui læderentur confirmatione illâ: *L. 39. ff. de adopt.* Emittendæ ergò ante omnia

omnia sunt citationes, ad videndum fieri confirmationem: D. Gail: 2. *Obser.v.1.n.11.* Præsertim verò in negotiis pupillaribus confirmandis admodùm circumspectè agendum est. Ubi tamen ab imperitis Judicibus plerumq; perniciosè peccatur, qui nimis properè, & absq; legitimâ causæ cognitione, super alienationibus & transactionibus tutorum & curatorum in maximum pupillorum dispendium & præjudicium, Decreta sua interponunt. Exquisitiùs autem diligentes & Officii sui benè memores Judices talia pertractant. Vid. Gail. 2. *obser.v.72.n.5.seq.* D. Gylman. *voc. Confirmatio. §. antepenult. & ult.* item *voc. Pupillus.* D. Blum. *Proces. Camer. Tit. 34.n.153.154. Tit. 42.n.20. & 22.* D. Alciat. *de præsumt. Reg. 3. præsumt. 10.n.8.* D. Dec. *ad L. omnia. 71. aut 72. de R. J. n.2.* id. *Consil. 479.n.5.6.7.* Ita etiam Arresta periti Judices non debent præcipitare, & præproperè ad nudam petitionem cujuslibet illa indiscretè decernere, sed priùs causam, saltem summariè examinare, omniaq; necessaria in illo examine diligentissimè considerare. Quod si, eô factô, Arresti petitio injusta apparet, rejicienda est, etsi cautio sufficientissima à petente offeratur. Qua de re, præter Dd. Saxonicos, tanquàm hîc ordinarios, eosq; itidem perquàm accuratos, legendi omnino sunt D. Gail. *de Arrest. Imp. Cap. 1.n.11. seq.* D. Mev. *part.7. Decis. 85. &c.* Ita quoq; Citationes ad Processus, antequàm decernat, non tantùm in Processu L. Diffamari: D. Mund. *de Diffamat. Cap. 2. §.10.n.2. seq. Cap. 5. §. 3. n. 84. seqq.* Verùm etiam in aliis, cognoscere debet judex, an acturus justam & probabilem causam habeat actionis, propterquam alterum citari desideret: *L.3. §.11. ff. ad exhib.* minimè autem quemvis ad agendum & litigandum promiscuè admittere, sed eum, cui notoriè deest jus agendi, à limine Judicii repellere, ipsiusq; libellum, juxta tritum illud, dentibus lacerare. Vid. omn. D. Mev. *part.1. Decis. 42. per tot.* & *Decis. 225. n. 2. 5. 6. 7.* Conf. D. Carpz. *p. 1. C.1. D.9.* Ubi litigantes

gantes de re modici præjudicii, repulsos ac coërcitos cupit. In quô tamen nonnihil desiderari potest. Vid. D.Ziegler. *Dicast.Concl.*23. *§.4.-9.* Zaunschliff. *de off. Jud. supplet.p.*2. *Concl.* 6. *§.*4. iter. Ziegl. *d. l. Concl.*49. *§.*2.

POSITIO IX.

Judicationes extemporales de compositionibus litium amicabilibus suscipiendis, sunt vituperandæ.

Hæc Positio imprimis desiderat, ut Judex benè observet novissimam Imperii Sanctionem, A.CH. 1654. promulgatam, quæ §. Zweitens soll der Richter rc. 110. ita, post cetera, habet: ehe dann Er die Güte den Parteien vorschlägt / vorhero in den Sachen sich wohl informiren / und sein Absehen / bey diesen gütlichen Vergleichen / dahin jeder Zeit sorgfältig stellen / damit die eine öffentlich ungerechte Sach führende Partei zu denselben nicht gelassen / noch der recht habende Theil damit beschwert / noch auch die Justitz / wieder deß andern Theils willen verzogen werde. Cavendum, quod plerumq; fit, ne nimiùm propter concordiam altera pars gravetur iniquâ transactione, deturq; aliis actionem intendendi & iniquum petendi, ut æquum ferant, occasio: sed deprehensus iniquum calumniosè petere, ut is ab agendo atq; supplicando desistere, & adversæ ac vexatæ parti impensas refundere cogatur: Heresbach. *de Rep. Christianè administr. cap.17. §. antepenult.* Major utiq; hic exigitur diligentia, religio & prudentia, quàm qualis notatur in eâ, quæ circumfertur, narratione, de aliquô imperitô, extemporaneô tamen, Judice, eis moribus assvetô, ut litigantibus Juris pronunciationem ab ipsô postulantibus, frequentissimè non aliam, nisi hanc daret: Vergleichet euch miteinander /

der / und gebet mir mein Gebühren : Abnuentes autem carceri manciparet, donec in ejusmodi compositionem sibi impositam consentirent. Plura de compositionibus amicabilibus, inter alios, D. Zieglerus solidissimè, ut omnia sua, exposuit, *in Dicast. Conclus.22.*

POSITIO X.

Judicatio extemporalis Judicem suspectum, & recusationi locum facit.

Præsens Positio ad eas Judicationes, quæ Definitivam præcedunt, applicanda est. Atqui in his ipsis, per *L.4. C. de Dilat.* etiam causæ cognitio, & adeò accurata Actorum, quoties jam adsunt, perlustratio requiritur. Eam verò utramq; Judex extemporaneus omittit, & sufficientem status informationem insuper habet, consequenter ei parti, in cujus commodum Judicatio extemporalis cedit, se addictum haud obscurè profitetur, suamq; prodit animi propensionem. Quidnî igitur, ut suspectus, recusari queat temerarius iste & intempestivus Judex? Cùm judicem, quicquid erga personam vel causam in alteram partem singularem affectionem indicat, suspectum & recusabilem faciat; Omninô igitur Judex, quem, ut juxta *L.6. C.Solut. matrim. &c.* religionem judicationis suæ temperet, utriq; parti æquum & ab omni erga alterum favore alienum esse oportet, si integer censeri velit, à Judicationibus extemporalibus abstinere: ex adversò autem Acta jam enata studiosè perscrutari debet, ne extra illa judicet: Nam Actis, tanquàm vehiculo ad veritatem, judex est alligatus, & quicquid illa transgreditur, non modò nullum est, sed etiam judicem facit ineptum & suspectum, tùm generaliter: *L.23. §.1. C. ad L. Jul. de adult.* Vid. D. Dick. *Oecon. Jud. ordin. constit. pag. 362. in m.* D. Mev. *p.2. Decis. 77. n.4.5. p.5. Decis. 331. n.5.* D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 13. §. 40.*

tùm specialiter, quasi nonnunquam pro principio habeat, illud vehiculum, juxta Accursii verba, malè vadere, nisi axungia adhibeatur: Vid. Zaunschliff. *de off. Jud. supplet. part. I. Concl. 10. §. 4. scilicet:*

Die Schmier beym Wagen hangen soll/
Wer nicht wohl schmiert/der fährt nicht wohl.

Vid. Ziegler. *Theatr. Trag. Histor. XI. pag. 384.*

POSITIO XI.

Judicationes extemporales processum & lites non breviores, sed longiores faciunt.

Inter vitia, quæ rebus Juridicis accidunt, nullum est capitalius longævitate litium forensium, cujus non modò alia, eaq; ineffabilia, sed etiam hæc sunt incommoda, quod exhauriuntur litigantium loculi, ut interdum illis emisse rem, quàm per sententiam judicis acquisiisse præstaret. Vid. ex infinitis, D. Vigel. *Pract. for. pag. 3. & 4.* item *lib. 4. cap. 1. circ. fin. lib. 6. cap. 1. pag. 322. lib. 7. pag. 389.* D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 22. §. 1. &c.* Conf. omn. Jo. Albrecht *in Epist. Dedicat. Disquis. Polit. de formâ Judicior. in Rep. rectè instit.* Dn. D. Hofmann *Lycurg. Præfat. latin. ad Lector. n. XXIV.* D. Brunnemann *de Proces. fori legit. instit. in Procem.* Ea autem vitia nequaquàm veræ Jurisprudentiæ, seu Juri, i. e. ipsimet arti boni & æqui: *L. 1. pr. ff. de J. & J.* sed illis imputanda sunt, qui hanc artem tractant, quod in forô imprimis Judices faciunt atq; Advocati. Vid. Reformat. guter Policey zu Augspurg. A. CH. 1548. Tit. von Richtern &c. 32. D. Vigel. *d. l. lib. 1. cap. 1. lib. 4. pag. 181. 182. lib. 6. d. pag. 322. lib. 7. cap. 17. pag. 475.* Advocati certè simulati, imò potiùs Cerberi forenses, ubi barbaria forensis regnat, forô non aliter utuntur ac impudentiæ ludô: Vid. *Cynos. Jur. Meliss. pag. E. fac. 2.* Baud. *1. Epist. 4. pag. m. 14.* præsertim verô malas causas in infinitum protrahere satagunt.

gunt. Ab Advocatis autem simulatis Judices degeneres modò huc, modò illuc rapiuntur, ut hi illis omnia concedant, quæ diuturnitates litium pariunt. Vid. Vigel. *de l. lib.7.cap.15.* Igitur turbatô Justitiæ statu, nihil illic prisci, integri & justi moris, inter cetera vel maximè id efflagitantis, ut Judices non solùm semet ipsos optimos præstent, verùm etiam solicitè agant, ut malis advocatis Judicia careant. Congruit enim bono & gravi Judici, curare, & tam ex officiô, quam ad instantiam injungere, ut partes honestis, legalibus ac peritis Advocatis utantur, quorum congruis allegationibus atq; perspicuis demonstrationibus rectè informatus faciliùs certiusq; judicare, & lites abbreviare possit. Quod non difficilè obtinebit, si solicitè agat, ut Advocati, unà cum abstinentiâ à dilationum abusu, in formalibus ea, quæ necessaria sunt, non negligant, & in materialibus id tantùm, in quô status controversiæ consistit, disputando & probando tractent. Vid. D. Vigel. *d. l. lib. ult. cap. ult.* D. Carpz. *Jurispr. for. p. 1. C. 1. D. 18.* D. Ziegler. *Dicast. Concl. 47. §. ult.* D. Mev. *p. 1. Decis. 189. p. 6. Decis. 381.* Quodsi nec semper, nec quôvis locô tales Advocati, quibus nihil desit, haberi possint, Judici incumbet, quæ informi, nec sufficiente modô proferuntur, deliberatâ interlocutione ad justum ordinem redigere, & defectum, etiam in factis, de quibus ex Actis constat, supplere, juxta *L. un.. Cut quæ desunt Advoc. part. Jud. suppl.* Vid. omn. D. Mev. *p. 3. Decis. 351. per tot. & p. 7. Decis. 155. n. 7.* D. Ziegler. *Dicast. Concl. 34. §. 7. seqq.* Hâc Diligentiâ optimè satisfaciet sanctissimo monito:

Diminue, abbrevia, Judex, & jurgia fini.
Publica res & lex Te properare jubent.

Cujus moniti justitia quemadmodum non excludit eam prudentiam, ut in quibusdam casibus Judices dilatione pro remediô reconciliationis inter partes infensas perficiendæ u-

tantur. Vid. omn. D. Mev. *p.6. Decis. 53.* & *p.1. Decis. 225. n. 2.* ita ipsumet maximè seriò inculcatur in Recessu Imperii novissimô, qui simul modum & media abbreviandi lites Judicibus in manus tradit, ut adeò hodiè diuturnitas litium, minimùm in illis locis, ubi nimiâ laborum multitudine non oneramur, præcaveri omninò queat, dummodò observentur ea, quæ summum Cameræ Imp. Tribunal inferioribus Judicibus præcipere solet: Sollen Richtere erster instanz hinfür anderen Parteien also confuse, weitläufftig und mit so vielen überhäufften Schrifften zu verfahren nicht gestatten / sondern den Procefs, so viel möglich / abkürzen / das Recht und Urtheil beschleunigen / und sich deß H. Reichs Sazungen / Abschied und Ordnungen gemäß verhalten: Vid. D. Blum. *Sent. Camer. n. 983. in f.* Conf. Oldendorp. *Clas. 7. Act. 1. circ. fin. §. in Summa. seqq.* Dn. D. Hofmann *Tract. Judicii & Just. pag. 104. n. 56.* Ex quibus omnibus in apricô est, posse Judices, si non omnes, certè multos, modo velint, lites ita expedire, ut suum cuiq; tribuatur, nec justitia diu protrahatur. Verum enim verò nisi per sententias sat pensitatas obtineri hæc tanta bona nequeunt; Extemporales autem Judicationes contraria mala, ac, si definitivæ sint, ob gravamina, Judicis extemporalitatem, in causis sibi parùm cognitis, raro non comitantia, etiam appellationum, aliorumve, tempestate nostrâ, ferè dicam, an verè? flebilium remediorum infinitas molestias partibus accersunt. Hôc igitur præcipiti modô festinans Judex magis peccat, quam qui cunctatur, quamvis etiam hic peccatô perquàm gravi se contaminet. Vid. D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 24. & 26.* inculpatus autem is demum est, qui partibus suis, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione, fungitur juxta *Lib. 7. §. 1. administr. & peric. tutor.*

POSITIO XII.

Judicationes extemporales nullitatibus sunt obnoxiæ.

Confirmant hanc Positionem non tantummodò Doctores, sed Jura etiam, pulchrâ unânimitate. Vid. eleg. arg. *L. 8. §. 17. ff. de transact.* D. Oldendorp. *Enchir. Except. fol. m. 109. n. XI.* D. Vant. *de Nullit. ex defect. proces. --- & formæ ipss. sentent. n. 34.* D. Dec. *Consil. 479. n. 7. & Consil. 606. n. 9.* D. Cravet. *Consil. 153. n. 1. 2.* D. Grammat. *Decis. 15. n. 11. &c.* Ratio est, quia ad substantiam Judicationum requiritur, ut cum exquisitâ, adeoq; extemporalitatem non admittente, causæ cognitione & nimirum secundum ea fiant, quæ ab utrâq; parte in rem præsentem prolata fuerunt. Vid. D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 27. §. 3.* Hic jam quæritur: (I.) Cum causæ cognitio ideò fieri debeat, ut applicari possint jura ad factum; hæc autem applicatio deliberationem poscat, an Judicatio etiam tunc nulla sit, quando præcessit quidem cognitio, omissa verò fuit deliberatio? ℞. in se quidem utiq; nulla est, quia præcipuum Judicis officium in dictâ applicatione, citra deliberationem impossibili; consistit; in forô tamen soli plerumq; pro validâ haberi debet, quoniam deliberationis actus in sensus non incurrit, neq; semper notabilem temporis tractum requirit, & proindè ejus defectum, in his terminis, ubi cognitio præmissa fuit, notare, difficile ac vix possibile est: Vid. D. Ziegler. *Dilast. Conclus. 26. §. 13.* Scil. Jus nunquàm, sæpè autem probatio deficit: *C. 30. ff. de testam. Tut.* Q. (II.) An sententia ob extemporalitatem ipsô jure nulla, indistinctè nullum effectum habere possit? ℞. Ut esset aliqua inter desides & vigilantes differentia, sanciverunt Le-

gum

gumlatores, ab eâ civilium causarum Judicatione, sententiam præ se ferente, recedi non posse, quæ contra indefensum, & adeò sine plenâ causæ cognitione, & ex tempore, est prolata, si ubi primùm ille gravatus cognovit, non illicò, i. e. intra constituta tempora bidui, vel, secundùm jura recentiora, decendii, de statutis, seu ipsâ sententiâ, querelam detulit, vel Magistratui, vel Notario publico, vel, hôc deficiente, aliis tribus testibus. Ità enim firmitatem sententiam, quæ ita prolata est, non habituram, si ei non sit commodatus assensus. Qualis ne ex taciturnitate induci queat, sufficere, declarationem dissensûs dictô modô fieri, eâq; intra fatale suum factâ, ad ipsam actionem super nullitate extemporalis sententiæ instituendam, 30. annos relinqui. Vid. L. *3. C. quom. & quan. Jud. &c.* Collat. *L. 2. C. de annal. except: L. 4. &6. C. de accus. & inscript. L.6. ff de appellat. &c.* R. J. A. CH. 1654. §. Indem auch nunmehr. 121. & §. seq. Add. de disquisitione: Utrum in Judiciis qui tacet, consentire videatur? D. Concenat. 1. *quæst. 9.* Quibus, aliisq; notis Juribus conjunctis, omnem superatam esse confidimus propositæ quæstionis difficultatem, quæ absq; illâ conjunctione, nolebat superari. Q. (III.) An Decretum Judicis extemporale, effectum sententiæ extemporalis, & adeò rei judicatæ, contra tacentes habeat? R. Negatur *per L. 2. C. Commin. Epist. pro gr. Subscr. auct. rei jud. non hab.* Q. (IV.) An Decreto Judicis extemporali, præstationem debiti injungenti, debitor parens, vitium extemporalitatis, ad revocandam paritionem, opponere queat? R. Negatur *per L. f. §. f. ff quod met. c. ibi*: quod si debitor satis fecit, simplici jussione, & non cognitione habitâ: quamvis non extra ordinem exactionem fieri, sed civiliter oportuit, tamen quæ solutioni debitarum ab eô quantitatum profecerunt, revocare incivile est.

POSITIO XIII.

Judicationum extemporalium nullitates ab inferiori Judicio commissæ, attendendæ sunt in superiori.

Licèt Dispositio Jurium velit,ut in nullitatibus,ad novam causæ Decisionem attendendis, Judicia superiora non sint admodùm rigorosa: tamen cùm sese offendant nullitates insanabiles, & tales, quò de meritis causæ constare nequeat, omninò super nullitate pronunciandum,& Judex prioris instantiæ puniendus. Atqui inter ejusmodi nullitates reputanda vel maximè ea est, quam extemporalitas & præcipitantia sententiæ parit: est enim,ob ipsius causæ cognitionis negligentiam, insanabilis, ipsamq; substantiam sententiæ adeò repellit, ut hæc, si ei à parte gravatâ non sit commodatus assensus, ne quidem ex ullô aliô postfactô vires acquirere queat. Utiq; ergò causa in superiori Judiciô, si ad istud defertur, cognoscenda est. Vid. Ordin. Camer. Imp. p. 3. Tit. 34. pr. D. Gylman. *voc. Nullitas. §. Nota: Licèt.* D. Mev. *p.* 1. *Decis.* 78. D. Ziegler. *Dicast. Conclus.* 27. §. 3. Nostr. super. *Posit. XII. q. II. &c.*

POSITIO XIV.

Judicationum extemporalium medicationes, vel ab ipsô extemporaneô, vel à superiori Judice, peti possunt.

Judicis extemporanei officium non exspirat per definitionem extemporaneam, utpotè quæ nulla est, ideoq; ipse non impeditur,eandem reformare. Vid. D. Mev. *part.3.*

Decis.232.n.8. Superioris tamen Judicis Jurisdictio contra extemporaneum, etiam tantumodò interloquentem, itidem est fundata, quia hic ferè profiteri videtur, sibi justitiam parùm curæ cordiq; esse, cùm tamen aliud nihil in Judiciis, quàm justitia locum habere debeat: *L.6.§.1.C. de Appellat.* Proindè sententiâ nullâ existente propter nimiam judicis præcipitationem, in optione partis erit, an vel per eundem judicem, an verò per superiorem petere velit sententiam reformari: *L.6.C. quom. & qu. Jud. &c. L.4. & 6. C. de accus.* Nec ad rescissionem perperàm Decretorum appellationis solennitas requiritur: *L. ult. C. de sent. ex peric. recit.* sed sufficit, simpliciter, ex tempore & sine causæ cognitione inferiorem judicâsse, apud superiorem queri, etiam post 10. dies, & quandocunq;, modò præcesserit, adversus sententiam extemporalem, matura dissensûs declaratio, in causis civilibus, juxta ea, quæ suprà, *Posit. XII. q. II.* dicta sunt, per *L.3.C. quom. & quand. Jud. &c.* Cujus tamen legis observationem in praxi non reperimus. Vid. Schenck L.B. à Tautenberg/*2.Progymn.for.14. §. Proindè.* D. Vant. *de Nullit. sub Rubr. Coram quô &c.* D.Gail. *1. obs.127.* D.Ziegler. *Dicast. Conclus.50.* D.Gylman. *voc. Appellare à quibus &c. §. quando.*

POSITIO XV.

Judicationum extemporalium nullitates executioni, ad eam impediendam, imò & jam factam, rursùs expugnandam, opponi possunt.

Sunt nimirùm Judicationum extemporalium nullitates notoriæ. Notoriæ autem nullitates ad executionis declinationem, vel expugnationem, allegabiles sunt. Atq; hæc est ratio hujus Positionis generalis, cui etiam specialis, eaq; simul uberior prioris probatio, accedit: quia Jura disertè definiunt,

finiunt, non aliter executionem fieri posse, nisi inter partes audità omni, & discussa, &, sic servatô ordine, decisâ lite: *L. ult. §. ult. ff. quod met. caus. L. 1. & 8. C. de Execut. rei judic.* Undè prodivit regula: etiam à judice spoliatum, qualis est, qui, contra ordinem juris, absq; causæ cognitione, executionem patitur, ante omnia restituendum esse, cùm in tali specie, solita pro judice præsumtio omnino cesset. Limitationes tamen interdùm audiendas esse, non diffitemur. *Vid.* Schenck L. B. à Tautenberg/ *Viridar. Tom. 1. Conclus. 72.* D. Gail. *2. obs. 76.* D. Wesenb. *Consil. 183. n. 10. 11. Consil. 200. n. 121.* D. Cravet. *Consil. 140. n. 2. Consil. 302.* D. Mev. *p. 3. Decis. 233. n. 7. 8. p. 8. Decis. 385. 386.* D. Coras. *2. Miscel. 2.* D. Alciat. *J. U. Prax. p. m. 182. 183.* Ne igitur executor, fiat Spoliator, ipsius erit, ad manifestam, de vitio extemporalitatis, sententiæ inhærente, allegationem, hanc Judici mandanti referre, & in exequendo supersedere. Secus si fecerit, in ipsum mandantem, maximè etiam si Princeps sit, & secundùm alterius preces, Mandatum extemporaneum, alterius jura læsurum, dederit; in suam conscientiam, officii authoritatem, & eum, qui defendi debet, peccat: *L. 4. C. Si contr. Jus vel util. publ. & c. L. 7. C. de precib. Imp. offer. c. 5. de Rescript. c. 6. de præbend.* D. Oldendorp. *Enchir. Except. p. m. 112. 113. 114. n. VI. & X.* D. Gail. *1. obs. 16. n. 6. & obser. 113. n. 2. 3. 7. 8.* D. Vant. *de Nullit. sub Rubr. coram quô & c. n. 22.* D. Petr. Wesenb. *Consil. 26. n. 12. 13.* D. Mev. *p. 1. Decis. 141. 142. 143.* D. Coras. *de servit. pag. 328. 329.* D. Ziegler. *Dicast. Concl. 35. §. 18. 19. 20.*

POSITIO XVI.

Judicationes extemporales uti malæ sunt, ita contra easdem actio malè Judicati apprehendi potest.

Nullum in Rep. genus hominum perniciosius nocere potest, quam judices, si concreditâ sibi potestate malè utantur, ideoq;

ideoq; meritò eorundem temeritas reprimenda fuit. Quamobrem, præter alia remedia, etiam malè judicati actio introducta est, quâ omnes malæ, adeoq; & extemporaneæ, partibus detrimentosæ, judicationes coërcerentur, sivè jam ex dolô, sive ex imperitiâ fierent: nam ibi, juxta *L.15. §.1. ff. de Judic.* læso vera æstimatio litis: hîc, per L. *ult. ff. de extraord. cognit.* quantum æquum religioni judicantis visum fuerit, præstari debet. Vid. D. Oldendorp. *Class. 7. Action. 13.* Conf. Beckman. *Doctr. Jur. pag. 285. in m.* Imò, quod ad Judicationes extemporales attinet, potius est, etiamsi tantùm per imprudentiam factæ sint, tamen ad totum interesse judicem parti teneri, quia qualitas culpæ hoc exigit: Quemadmodum enim judex Reip. exactissimam talemq; debet diligentiam, quæ omnem, & levissimam quoq;, culpam excludat; ita, è contrario, in extemporalitate judicandi, tàm crassa & supina deprehenditur culpa, quam quæ maximè dolo proxima est. Vid. *L. 4. ff. de Magist. conven.* D. Schiurpf. *3. Consil. 84. n. 3.* D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 25. §. 12. in f.* D. Gail. 1. *obs. 28. n. 7. & 8.* Itaq; non immeritò in actione malè judicati, maximè quoad casus nostri thematis, etiam competentiæ beneficium cessat: Vid. D. Manz. *Patrocin. Debitor. &c. 3. q. 1. n. 94. & 95.* eaq; est perpetua, ut potè civilis, nulloq; peculiari fatali circumscripta. Si id genus actiones (D. Oldendorpii ex l. c. verba referimus) aliquantò frequentiùs intenderentur adversus iniquos Judices, (quibus extemporanei quoq; sese adscribunt) haud dubiè non ita susq; deq; pronunciarent, præsertim in causis publicis; & in causis non appellabilibus, quales impetratio privilegiorum multas effecit, de quibus Blarerus ad L. Diffamari. Cap. 10. n. 34. scribit: Videmus passim status Imperii, ne etiam in magnâ Summâ & arduis causis à suis judiciis ac sententiis appellari possit, privilegia impetrare: Quod quàm è re subditorum sit, eorum sæpè querelæ ac lacrumæ testantur, maximè ubi insolentes rerum guberna-

bernacula tenent: D. Besold. *de Apellat. cap. 7. n. 8.* Tali autem querelâ iis in territoriis opus non est, ubi & pauperibus, & non ultra 1333⅓. imperial. divitibus, peculiaria sua appellationum, & etiam reliquis revisionum, & generaliter omnibus ea beneficia servantur, quæ optimi Legumlatores servata volunt, ut, si quis quâcunq; de causâ improbum judicem potuerit approbare, & approbet, victoriam reportare debeat & gloriam. Vid. *L. 4. C. ad L. Jul. repet.* R. J. A. CH. 1654. §. Doch mit diesem: 113. & §. seq. D. Mev. *p. 5. Decis. 83.* D. Blum. *Proces. Cam. Tit. 46. n. 52. - 54.*

POSITIO XVII.

Judicationes extemporales publicorum quoq; judiciorum pœnas merentur.

Actio scil. malè Judicati publicorum judiciorum pœnas nequaquàm tollit, per rationem *L. 12. C. de furt.* add. arg: *Nov. 126. c. 3. in f.* Quod etiam stabilivit D. Schiurpf. *3. Consil. 84. n. 3.* Jtaq; Judex extemporaneus, quia constitutiones Principum, de causis non perfunctoriè, sed accuratô studiô tractandis, negligit, extra privatam malè judicati actionem, punitur publicâ lege Corneliâ de falsis: *L. 1. §. 3. ff. de L. Corn. de fals.* confer. nostr. super. *Posit. I. in f.* propter eandem negligentiam ab administratione, tanquàm inutilis, removetur: *L. 3. C. de off. Præf. Prætor. orient.* Novissimæ quoq; Constitutionis efficaciam sentit, daß / wo aus des Richters Ungeschicklichkeit / oder Unerfahrenheit / auch Versaumnus / corruption, oder Boßheit / zu jemands præjuditz, Nachtheil und Schaden geurtheilt und gesprochen / das Recht versagt oder verzogen (vid. nostr. super. *Posit. XI.*) worden were / gegen der schuldhafften Obrigkeit so wohl als deren geordneten Unter-Richtern / gebührende Bestraffung vorgenom̃en / und durch

 den

den Käyſ. Fiſcal, zu Einbringung ſolcher Straffe / wie ſich gebührt / verfahren werden ſolle. R. J. A CH. 1654. §. wann ſich auch. 109. Et nominatim in duas marcas auri puri, i. e. 192 Jmperial. quandoq;, ſcil. in caſibus appellationum, condemnatur, juxta eundem R. J. §. deßgleichen ſollen? 60. ibi: daß der Judex à quô ſeine rationes decidendi, (quales extemporaneus habere nequit) mit und neben den Actis prioribus, bey Straff zweyer Marck löthiges Goldes / zum Cammer-Gericht verpitſchiret einſchicke. Quam legem dùm recitamus, perparum abeſt, quin & talem optemus ſanctionem, quæ rationes decidendi ipſis quoq; partibus edendas jubeat. Equidem: fatuum eſſe judicem, qui ſententiæ cauſam addat: opinio non ſolum communis eſt, ſed etiam totus propè Doctorum conventus pedibus in eam ita vit, ut temerarius fortè videri poſſit, & ab albô peritorum exturbandus, qui contrarium denuò inducere auſit. Allegant verò, pro communi Placitô, morem vetuſtiſſimum ex *c. 16. de ſent. & re. jud.* ac, nî ſervetur, metum frequentiſſimæ ſententiarum, per appellatores, oppugnationis. Quibus argumentis hodiè dictus Receſſus Jmperii accedere videtur. Ex adverſô autem prodeſiderio, ut ſententiis cauſæ addantur, hæc reponi poſſunt: (1.) Ex ipſo *c. 16.* nec non *c. 18. de ſent: & re Jud.* atq; ex infinitis aliis ejusdem Juris textibus conſtat, morem quæſtionis non ubiq;, nec ſemper, obſervatum eſſe; ſed & vetuſtas eidem patrocinari nequit; atq; alter contrarius, eſt vetuſtior, ſicuti Jura civilia, mox citanda, clarum faciunt. (2.) Experientia ſuperabundantiſſimè teſtatur, ſententiarum oppugnationes, ob cauſarum in illis reticentiam, non rariores eſſe; aſt probabilius eſt, pauciores fore, ſi cauſæ ederentur, haud dubiè interdum aliquos ab Appellationibus retracturæ; & ad harum abuſus compeſcendos Jura ſufficientia præſtò ſunt. Speciatim (3.) non ſolum ipſi principales Appellantes, ſed etiam eorum advocati

cati legitimâ pœnâ, & hi quidem majori quam illi, à duabus usq; ad 20. marcas auri puri, vel in corpore, plecti jubentur, si temerarii fuerint: R. J. A. CH. 1654. §. und nach dem 120. Atqui ejusmodi temeritatis, factâ editione causarum sententiæ, longè utiq; certiùs & frequentiûs, quàm eâd. omisâ, convinci possunt. Jmò (4.) non rarò, sententiam passus haud aliundè, quàm ex ejusdem causis cognoscere potest, justenè sit pronunciatum, nec ne? Hoc autem ubi non apparet, consequenter sæpè ubi & quia causæ illæ non sunt editæ, svadetur appellatio. Vid. D. Besold. *de Appellat. Cap. 5. n. 59.* Sed deinde (5.) porrò per totum appellationis processum, appellans, causis sententiæ destitutus, in tenebris ambulare, plurima, ad causas illas sibi ignotas nihil pertinentia, congerere, itaq; acta præter necessitatem, cum inæstimabili publicarum pariter & privatarum rerum jacturâ, multiplicare cogitur. (6.) Quemadmodum Jura justas appellationes immensô favore prosequuntur, ita etiam omnia ea, quorum copia, ad demonstrandam appellationis justitiam, vel necessaria vel utilis est, quorsùm vel imprimis causæ quoq; sententiarum sese referunt, omninò largissimè concessa cupiunt. (7.) Textum *L. 1. pr. ff. de edend.* in rem nostram ita vertimus: quâ quisq; judex ratione adversus aliquem utitur, eam edere debet. Nam æquissimum videtur, etiam eum, qui sententiam dicit, edere rationem, ut proindè sciat, sententiam passus, utrum cedere, an contendere ultrà debeat, &, si contendendum putat, veniat ad id instructus, cognitâ ratione sibi oppositâ. Rectè hanc istius textûs applicationem fieri, patet ex JCti mediô terminô, qui à defensione, alicui adversus factum aliquod competente, desumitur, & subsumtionem de reô, adversus factum in jus vocationis defensionem habente; propositionem verò taliter format:

Cui-

Cuicunq; adversus factum aliquod, competit defensio, ei illius facti ratio edenda est.

Atqui (nos subsumimus) sententiam passo adversus factum judicationis competit defensio.

E. Sententiam passo facti judicationis ratio edenda est.

(8.) Omne judicis officium consistit in eô, ut cuique suum tribuat, cujus præcipua pars sunt ipsæ rationes tribuendi. Quô jure ergò has istum, cui eæ debentur, ille celare potest? (9.) Jurà judici infinitè id inculcant, quod, in patre Cyri, Xenophontis Κύρου παιδεία laudat: μέτρον αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχὴ, (i.e. voluntas, seu desiderium, ad modum hebræi נֶפֶשׁ) ἀλλὰ ὁ νόμος. Hoc autem, minimùm in causis non appellabilibus, haud infrequenter negligetur, planeq; inversô ordine, nuda Judicum voluntas pro lege erit, ubi ab editione rationum judicandi, se liberos scibunt. (10.) Judices Nobis obligati sunt, ut de nobis, rebusq; nostris, sine causâ nihil statuant. Eam verò obligationem, positô dogmate, quod rationes judicandi nobis edere non teneantur, non certè nunquàm impunè se violaturos, nec falsô, putabunt. (11.) Talem, sed & istam ipsam, de causâ sententiæ addendâ, obligationem ipsimet Imperatores, judicum personas induentes, agnoverunt & observârunt, uti patefaciunt *L.1. C. de Apellat.* quæ est sententia Severi A. in causâ M. Prisci dicta; *L. 13. π. quod met. caus.* cujus plenior tenor reperitur in *L.7. π. ad L. Jul. de vi priv.* &, quæ præprimis est admodum notabilis, *L.3. π. de his, quæ in testam. delent.* Quandoquidem verò Imperialis Majestas causam sententiæ reddit, (12.) omnes omninò Judices, qui sub ejusdem imperiô sunt, sciant, hanc esse legem, ut ipsi quoq; causas sententiarum edant. Quis enim regalem pronunciandi modum non observet? Vid. *L. ult. pr. C. de LL.* (13.) D. Oldendorpius, Vir, per sinceram pietatem & solidissimam eruditionem suam, de Jurisprudentiâ eminenter optimè meritus, inter tria,

quæ

quæ corrumpunt judicia, ut vel invitis judicibus, ac omnibus causidicis, quantumvis optimâ fide rem gerentibus, nihil tamen habeant juris, & æquitatis, nihilq; minùs, quàm judiciorum nomen mereantur, deprehendit & illud, quod judices sententiis causas non adjiciunt, *Class. 7. Act. 1. circ. fin.* ubi etiam clausulam: **Und aus anderen beweglichen Ursachen:** vulgo valdè commendatam: Vid. D. Gylman. *Voc. Sententia. §. Causa &c.* tanquàm longè perniciosissimam damnat. (14.) Similiter D. Petr. à Well, gravis itidem Author, nostris rationibus favet, dum ad *L. 2. verb. cujus opinionis. ff. de usur.* sequentia commentatur: *Plurimum è Rep. esse existimamus, ut circumspectus & prudens judex sententiæ suæ rationem exprimat, ut is, qui lite ceciderit, causa examinata, appellandum ne sibi sit, an sententiæ acquiescendum, absq; hæsitatione constituat. Nec laudandum, si judex dicat, stat pro ratione voluntas, & habeo jus in pectore meo, sicut semel audivi à quôdam Assessore dici gloriosiùs, sed alter fortè ebrius collega commodè obviabat illi, dicens,* einen *&c.* habt ihr drinn. *&c.* (15.) Quô frequentissimô fundamentô Dissentientes utuntur, id valdè videtur suspectum, propterea scil. causam sententiæ judici abscondendam esse, ne, si falsam exprimat, sententia reddatur nulla. Mirum, si citra pudorem hæc talia proferre possint: ita enim rationes decidendi ignorare, imperitiæ, ignaviæ aut etiam malitiæ judicum causâ, volunt eos, quorum interest illas scire. Magis verò mirandum, tales cautelas, uti vocant, magnô tradi encomiô, cùm imò longè utilius esset, si Judices, juris & æquitatis Studiosi, id genus cautelarum griphos, aut non legerent, aut lectos vitarent in judiciis, & omne Studium eorum, qui hujusmodi callidas commentantur ac perniciosas cautelas, fugerent. Vid. D. Hortleder. *in παρέργῳ Disputationis de ratione Legis publicæ.* (16.) Ipsimet Patroni regulæ, causam sententiæ non addendam esse, planè faciunt pro more Accursianorum, qui omnia ad com-

 munes

munes & generales regulas revocare conantur: quarum posteà innumerabiles exceptiones sive limitationes, ut vocant ipsi, adferunt: quâ peste nulla major in hâc juris scientiâ esse potest, censente D. Giphaniô *in Præfat. Partit. Jur. feud. D. Rittersh. §. Quod & si &c.* Vid. de dictæ regulæ exceptionibus, D. Ferrar. *Pract. pag. m.* 190. D. Gail. 2. *de P.P.* 6. *n.* 13. --- 18. D. Blum. *Proces. Cam. Tit.* 29. *n.* 174. D. Eckolt. *ff. de re jud. §.* 14. *&c.* (17.) Recessum Jmp. A. CH. 1654. quod concernit, meræ fortunæ mos ille, editioni rationum decidendi, partibus faciendæ adversus, asscribere debet, quod sua, in forô ita reperti, moralitas non examinata fuit; an autem examen, salva existimatione suâ, subiturus fuisset, valde dubitamus. Nostrum verò desiderium pro lege, editionem rationum decidendi partibus concessurâ, porrò (18.) eam ob causam magis magisq; exardescit, quia hujusmodi lex, omnium præsentissimum ad judicationes extemporales compescendas remedium, ipsâq; conditâ, judicibus extemporaneis animadversio condigna indubitabilior foret, donec pœnâ docente discerent, quám grave sit, sententias sine maturitate debitâ fulminare, quomodo loquitur textus *c.* 1. *de sentent. excommunic. in* 6. Conf. infr. *Posit. XIX. in f.*

POSITIO XVIII.

Judicationes extemporales, etiam Dominis, qui judices constituerunt, mulctam attrahunt.

Quamvis antiquissimâ tempestate non insolitum fuerit, ut Imperatores ipsi judicum functiones subirent, & sententias, easq; nequaquàm extemporales, sed diu deliberatas dicerent: Vid. *L.* 3. *ff. de his, quæ intestam. delent. in pr.* ibi: *in cognitione Principis -- diu de legatis dubitatum est &c.* ac circ. fin.

fin. ibi: *Antoninius Cæsar remotis omnibus, cum deliberâsset, & admitti rursus eosdem jussisset, dixit:* (sententiam) Add. *L. 38. pr. ff. de minor.* Confer. Heresbach. *de repub. Christianè administrand. Cap. 17. pag. 298.* Dn. D. Hofmann *Tr. Jud. & Just. pag. 250. n. 10. pag. 320. n. 44. pag. 381. n. 21.* Attamen haud sunt culpandi ii Principes, qui rarò, & in certis duntaxat, anteq; reliquas momentosis causis, ipsimet Judicia exercent, ac tantum non omne judicandi munus aliis à se constitutis personis relinquunt. Vid. Dn. à Seckendorff Teutsch. Fürsten-Statt / p. 2. c. 5. §. Obwohl etc. Dn. D. Hofm. *Tr. Jud. & Just. pag. 428. pag. 429. n. 52. pag. 431. n. 57.* Imò quemadmodum olim multi increpabant Tiberium, quod in magno rerum apud Æduos motu, libellis accusatorum insumeret operam. Tacit. *3. A. 44.* Ita certè admonitionis Modesti, Præf Præt. Valenti, apud Ammianum factæ: *majus esse officium Regis, quàm quod litibus consumi debeat:* recordari licet, modò ne oblivioni tradatur alterum illud: *Regum officium proprium esse, facere judicium & justitiam, c. 23. XXIII. 5.* eumq; in finem probos & inculpatos judices constituere, qui illorum personam coram DEO & hominibus in jus dicendo repræsentent: Vid. omn. D. Holstein *in Tr. de æquit. Jur. Tit. 17. n. 2.* Dn. D. Hofmann / Consil. Aul. Br. *in Tract. Jud. & Just. part. 1. c. 1.* Heresbach. *d. l. pag. 299.* D. Friedelieb *de Honest. & modest. JCt. pag. 122. in f.* Nulla autem malefacta committant, quæ ipsis Dominis imputentur, juxta illud, quod Bato, Dux rebellantium Dalmatarum, interrogatus, cur Dalmatæ defecerint? bis Tiberio respondit apud Dionem: ὑμεῖς τούτων αἴτιοι, ὅτε ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας οὐ κύνας, οὐδὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους πέμπετε & quod exclamat γνήσιος ICtus, D. Oldendorpius: Væ tandem illis, àd quos cura emendandæ rei judiciariæ, multis modis hodiè corruptæ, pertinet. Ecce enim intendit arcum suum DOMINUS, & acuit gladium: *Class. 7. Act. 13. §. Nullas sanè.* Ideò Zonaras laudat Valentinianum I. qui non

tantùm hoc egit diligenter, ut hominibus idoneis Magistratus demandarentur: sed multos, qui in Magistratu erant, punivit, dicens: A Principe imprimis Justitiæ flagitari curam: Vid. H. Moller. *in Psalm. CI, 6.* Severum hîc malumus quàm lenem Principem: Vid. Beckmann. *Doctr. Jur. pag. 459. post m.* Ideò etiam novissimè promulgata est sanctissima, nostramq; hanc Positionem optimè statuminans Sanctio, quam suprà, *Posit. XVII.* ex R. J. A. CH. 1654. §. 109. jam adduximus, eamq; nostrô seculô summa efflagitavit necessitas, si vera sunt, quæ D. Fritschius ita queritur: Vacat aliqua honoris in Rep. curalis sella, parum adspectatur, an aliquis gravem Reip. causam suo consilio atq; humeris tueri ac sustinere possit; partium studia, prensationes aulicæ, amicorumq; ultrocitroq; favor plus efficiunt, quam omnis virtutum apparatûs: *Tract. de Mendicant. valid. Cap. 10. n. 4.* Confer. Friedelieb *d. l. pag. 75. in f. 130. seqq. 149. seqq.* & adeò Dn. Schütz Reflexion Pol. Conf. c. 4. n. 5. in verbis: ihren Herren Söhnen --- alles zu lassen, an allen ihren Thun und Lassen ein sonderbahres Wohlgefallen tragen / und sich dabey einbilden / daß Sie qualificirte Leute erzogen / die weiß nicht was für stattlicher promotionum würdig / in effectu aber --- der Welt obtrudiret werden / ob sie gleich weder GOTT / noch sonst jemand nütze sein. &c. Quicunq; autem sint temporum mores, Jura tamen vera permanent, non minus teneri principem, si in eligendis rei Dicasticæ ministeriis culpam commiserit, quàm patremfamilias, qui negligens in ministeriis eligendis fuit: *L. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil.* ipsiq; principi imputari, quod judicum extemporalitate aliove vitio damnum datum fuit. Vid. D. Ziegler. *Dicast. Conclus. 3. §. 7.* Schenck L. B. à Tautenberg / *Viridar. Tom. 1. Conclus. 113.* Quæ Dn. L. Henr. à Lith / Consiliarius ac Pastor Onoldinus, longè desideratissimus, in terminis affinibus, piè ac solidè, ut omnia sua, dixit, etiam ad hanc rem nostram penitùs applicanda sunt: Es sind zwar offt nur die Ampt-

Leute

Leute und Fron-Vögte in Egypten schuld daran / daß die Kinder Israel nicht wie ihre und Christi Bluts-Freunde / sondern fast wie die Kühe gehalten/und je mehr sie Milch geben/je werther geschäzet werden. Jedoch besorge ich/es werde GOTT der HERR künfftig zu manchem Ober-Regenten selbst aus dem Ezech. 33. sagen: Ihr (der Unterthanen) Blut will ich von deinen Händen fordern/ darum daß du nicht bessere Bediente bestellet / und ihnen nicht fleissiger auf die Finger gesehen: In Conc. Funebr. Sereniss. March. Brand. Onold. habitâ A. CH. 1680. pag. 105. Conf. preces Henrici I. Ducis Megap. ex Dn. D. Hofman. *Tr. Jud. & Just. pag. 184. lit. q.* Sanè tum Princeps excusandus est, si omnem hîc adhibet diligentiam, & tamen decipitur. Præclarè Aurelianus Imperator apud Vopiscum: Ego à patre meo audivi, Diocletianum Principem jam privatum dixisse: Nihil esse difficilius, quàm benè imperare. Colligunt se quatuor vel quinq; , atq; consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt. Dicunt, quid probandum sit. Imperator domi clausus vera non novit. Cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur. Facit Judices, quos fieri non oportet, amovet à Rep. quos debeat retinere. Quid multa? Ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. D. Praun *Paradox. Politic. pag. 29.* Dn. D. Hofmann *d. l. pag. 331. in f. & pag. 633. in pr.*

POSITIO XIX.

Judicationes extemporales ut à se repellat judex, æquissimum erit, si, re ita exigente, juret, sibi de causâ nondum liquere.

Pro hâc Positione faciunt textus *L. 13. §. 3. & 4. ff. de recept. arb.* & *L. 36. ff. de re jud.* ac rationes momentosæ: Im-

possibile est; ut justè pronunciet, cui de causâ non liquet. ὐκ ἐν τῷ τάχει, ἀλλ' ἐν τελειότητι τὰ πράγματα κεῖνται Sed & juxta verissimam Demeæ Terentiani in Adelph. sententiam, nusquam ita quisquam benè subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid adportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias. Et gravissimè de improbis judicibus queritur alicubi Cicero, quod tametsi lex illis potestatem ampliandi faciat, turpe tamen sibi existiment, non primò judicare. *Conf. sup. Posit. I.* Laudabile vero exemplum dedit nobis Agellius, qui *14. N. A. 2.* de se refert, diem se, cum judex esset, & de causâ propositâ ambigeret, diffindi jussisse, atq; indè à subselliis ivisse ad Favorinum philosophum, ut eum consuleret. Diffissus scil. dies judicii tùm dicebatur, cùm causæ cognitio in sequentem diem remissa erat. Comperendinatio in tertium diem rejiciebat negotium. Ampliatio in publicis judiciis dicta, quasi amplius dicendi pronunciatio. Ampliati rei, quorum condemnatio, quod nondum planè liqueret, de crimine, in aliud tempus differebatur. Vid. D. Coras. *ult. Miscell. ult.* D. Ziegler. *Dicast. Concl. 26. §. 14.* ubi subjungit: *vellem ego ista adhuc in judiciis nostris frequentari, ut maturescerent sententiæ, quæ sine studiò sæpè procuduntur, quæq; proindè à casibus fortuitis sæpè parum absunt.* Laudabilius certè faciunt, qui Agellium imitantur, &, pro re natâ, peritiores consulunt, aut ipsum Principem, juxta leges antiquas de relationibus, nec invitâ *Nov. 125.* quæ de illâ saltem specie loquitur, ubi judex causam coram se plenè tractatam, seu laboris seu odii vitandi ergo, pro sentētiâ ad superiorem refert. In ceteris, præsertim ubi inferior judex vel planè non, vel difficulter potest de causâ vel jure statuere, vel ubi referri multum refert, nihil mutatum reperitur, & si esset, tamen per jus Canonicum *in c. 68. de appellat.* ab eô recessum, idq; magis in usum venit, nobis imprimis gratum, ut potè quod

simul,

ſimul, ſecundùm *L. 1. C. de Relat.* Conſultationis exemplum litigatoribus ilicò edi jubet, ut ſi cui fortè relatio minùs plena, vel contraria videatur, is refutatorias preces offerat. Vid. omn. D. Mev. *p. 7. Deciſ.96.* Conf. D. Text. *ad R. J. A. CH. 1654. Diſp. 3. §. 74. n. 2.*

POSITIO XX.

Judicationes extemporales, in rebus plané manifeſtis ſunt licitæ.

Hactenus nobis videmur, prohibitas eſſe judicationes extemporales, ſufficienter demonſtraſſe. Quemadmodum verò ratio prohibitionis ea eſt, qvia in litibus forenſibus accurata requiritur cauſæ cujuſq; cognitio, ne alteruter vel uterq; litigantium lædatur; ita, cum in rebus plane manifeſtis, nullâ cognitione indigentibus, ratio iſta ceſſet, ipſa quoq; ceſſat judicationum extemporalium prohibitio, nec in manifeſtô negotiô, monente Valerio Maximô, tempus terendum: Sedulò tamen cavendum eſt, ne quid pro planè manifeſtô habeatur, quod tamen tale non eſt, præſertim in cauſis criminalibus, quoniam criminum, ſtatim, ſine inquiſitione omni, plane manifeſtorum, ſeu, ut vulgò, quanquam invitâ latinitate, loquimur, notoriorum, exempla rariſſime occurrunt. Vid. D. Ziegler. *Dicaſt. Concl. 31. §. 8.* Confer Schenck L. B. à. Tautenberg/ *Viridar. Tom. 1. Concluſ. 68. &c.*

SOLI DEO GLORIA.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA